# DE CALORIS ANIMALIS STATU IN VARIIS MORBIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

Giovanni Falgari

# DE CALORIS ANIMALIS
# STATU
## IN VARIIS MORBIS

*Dissertatio Inauguralis*

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE PERILLUSTRIS FACULT.
MEDICAE DIRECTORIS, SPECTABILIS D. DECANI, NEC
NON CLARISS. AC CELEBERR. D. D. PROFESSORUM

*AUSPICE*

**DOCT. JOSEPHO MORETTI**

BOTANICES PROF. ORD.

PRO

**Doctoris Medicinae Laurea**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE CONSEQUENDIS

**IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI**

*Mense Februarii* 1845

UNA CUM THESIBUS ADNEXIS

*publicae disquisitioni submittit*

**JOANNES FALGARI**

EX CARAVAGGIO

*TICINI REGII*

Ex Typographia Bizzoni

1845.

AVUNCULO MEO

OPTIMO SACERDOTI

**D. JOANNI GRUFFERTTI**

VIC.° TITOL.°

*Summa animo menteque pervolvens beneficia mihi tot per annos largita, publicam ad referendam gratiam, has quascumque studiorum meorum primitias Tibi dico: tenuem ergo hanc diatribam ingentis utpote amoris ac grati animi tesseram accipe, meque Tuo semper prosequere amore. Vale, diuturna Tibi adrideat salus.*

» Optima ratione olim Medicorum sapientissimi pronuntiarunt, » vitam consistere in calore; utpote individuus et perpetuus, » calor vitae comes est, ita, ut etiam nullum reperire liceat » animal vivum, ubi non et calidum quoddam deprehendatur. Persuasi hinc ipsi fuerunt veteres, calorem esse vitae » causam, et calidum quoddam substantiale animantibus innatum esse, quod actiones ac functiones vitales regat, dirigat atque moderetur «.

*Fr. Hoffmanni* Disp. de caus. Caloris. 1699.

Veterum medicorum de calore innato disputationes vanae certe sunt; ab illis tamen deducimus, medicos illos uti praecipuam inter organismi animalis functiones habuisse eam, qua calorem sibi proprium gignunt servantque. Medici saeculi decimioctavi et deciminoni veterum opiniones de calore innato prorsus neglexerunt, et studium caloris animalis methodo experimentali prosequuti sunt: sed eorum observationibus physiologia magis quam pathologia profecit. Et re quidem vera: qui nam caloris gradus variis aetatibus, temperamentis, constitutionibus sit proprius; quibus legibus animalium corpus calorem proprium contra externi caloris excessum aut defectum tueatur;

hoc notum est, dum e contra ignoramus fere ex integro mutationes quas calor hominis in variis morbis patitur.

Nec quis credat experimenta hac super re desiderari, thermometrorum ope instituta. Jam a saeculo decimoctavo *Schreiberus*, *Schwencke*, *Sauvages*, *Martine*, *Haller*, *De Haen* aliique thermometrum ad hominis calorem in morbis explorandum adhibuerunt: verum eorum observationes et numero paucissimae sunt et plerumque etiam imperfectae. Nostro aevo experimenta thermometrica in morbis a *Donné*, *Piorry*, *Bouillaud*, *Andral* et *H. Roger* instituebantur; sed fructu admodum exiguo. Ab experimentis *Donné* demonstratum est tantum, calorem in morbis cum pulsuum et respirationum numero proportionem saepe non servare. Observationes *Piorry* imperfectae sunt nimis, quum tales caloris gradus observaverit, quos certe solus videre potuit (+ 43° Centig.). *Bouillaud* calorem quibusdam tantum morbis proprium notavit. *Andral* experimenta publici juris nondum facta sunt. Tandem *Roger* calorem in infantum morbis unice observavit.

In hac dissertatione constitui ea, quae hinc illinc de calore hominis in statu pathologico observata dicuntur, colligere et condiscipulis meis tradere.

## §. I.

DE CALORIS STATU, IN MORBIS, GENERATIM.

Calor animalis plerumque augetur in morbis, rarius imminuitur, et, sive auctus sive imminutus sit, fere sempre gradus eius in statu pathologico parum distat a gradu qui proprius est statui physiologico. Gradus caloris normalis in homine est 37° thermometri centigradi. Ex plus quam centenia *Andral* experimentis constat, in morbis calorem non ultra gradum 42 ascendere, nec infra 35 gradum descendere; ideoque maximam caloris differentiam, etiam in statu pathologico, esse graduum septem: hoc observatum fuit in adultis. In puerorum quoque morbis notata fuit a *Roger* pauces haec status pathologici a statu physiologico differentia: ast, in hac hominis aetate, morbus existit in quo recessus caloris a statu normali notabilis admodum conspicitur; induratio nempe textus cellularis subcutanei. Infantes qui hoc morbo detinentur calorem praebent interdum 23, 50 thermometri centigradi. Maximus caloris gradus a D.re *Roger* in infantum morbis observatus, est 42, 50 Centig. (1). Quid dicendum ergo de *Piorry*, qui gradum 48 Centig. in quibusdam aegrotantibus

(1) Roger. *De la température chez les enfans*, etc. in *Archives génér. de Méd.* 4. Serie. Tom. V, 1844.

observavit? Observatio hujusmodi imperfecta certe fuit: comprobatum enim habemus a *Magendie* experimentis, super animalia variarum specierum instititis, animal perire dum calor ejus internus *quinque gradibus* calorem normalem suae speciei proprium excedit (1).

Minimus itaque caloris gradus in adulto aegrotante esset 35 centig.; maximus 42. In infantibus idem ac in adultis observatur, si excipias unicum morbum, indurationem textus cellularis, minimo caloris gradu (23,50) notatum. Hic porro mirari debemus, aetatem adultam et infantilam quae in morbis, quoad omnia fere symptomata, adeo differunt, unice in caloris gradibus convenire.

## §. II.

### DE CALORE IN FEBRIBUS.

»Caloris augmentum, ait D.r *Roger*, comes status febrilis perpetuus est, et ejusdem fere elementum constituit. Quaecumque sit febris forma, et indoles, syptomatica vel idiopathica; quicumque tipus, intermittens, continous, remittens; quaevis duratio febris, semper cum caloris animalis augmento decurrit; adeo ut (advertente optimo *Andral* morbi symptoma characteristicum et fun-

(1) Gazett. méd. de Paris. Tom. XII, p. 255 seg.

damentale esset calorificationis laesio«. In 356 hominibus, febre laborantibus, sequentes caloris gradus observavit *Andral*.

Aegrorum numerus:

| | | | |
|---|---|---|---|
| 64 | caloris gradum C. | 38 | habuerunt; |
| 156 | » | 39 | —; |
| 116 | » | 40 | —; |
| 18 | » | 41 | —; |
| 1 | » | 41,80 | habuit; |
| 1 | » | 42 | — . |

Aeger 42 gradus praebens coryza virulenta adficiebatur. Ex reliquis aegrotantibus, quidam febre essentiali, alii symptomatica laborabant.

Paucis de caloris statu, in febribus generatim praelibatis, nunc ad peculiares febrium species transeamus.

### 1. *Febris ephemera.*

Dr *Roger* in duobus tantum infantibus, hac febre adfectis, caloris gradum observavit. In trium annorum infante, caloris gradus erat:
1. die morbi 40,50;
2. » 38,25;
3. » 37,75. Hac die saluti optime restituitur. — In duodecim annorum puero, caloris gradus fuerunt:
1. morbi die 38,50;
2. » 37,25.

### 2. *Febris intermittens.*

»Calor (habet *Schwencke*) in febris intermit-

tentis principio sub axillis, in ore et pectore aegroti ad thermometrum (*Farenheit*) erat 90°, in alio 87; in acme, nempe ardore 104°, in sudore 100°, post febrem 95°... In febre continua remittente erat 98° et 99° cum sudore continuo; in remissione calor diminuebatur ad 96°... In quartana erat, incipiente paroxysmo, 87°, tumque pedetentim calor incipiens ad 100° accrescebat; erat autem paroxysmus levis, neque ardor fere animadvertebatur, sed statim a frigore fugato in sudorem conjiciebatur quinquagenarius« (1). In stadio caloris febris intermittentis, *Martine* 106° gradus in se ipse observavit. Si diligentissimum in hac re medicum *De Haen* audiamus, credere debemus esse »calorem hominis in frigore febrili jacentis a gradu 87 ad 94 F.; ejus vero qui aestu febrili arderet a gradu 96 ad 104, et forte adhuc aliquid plus. Ergo recessus in frigore minor, a puncto fixo graduum 95 : 96 (qui status normalis gradum constituit), quam ab eodem puncto excessus caloris« (2).

In febribus intermittentibus calorem ad 42 gradum Term. Centig. pervenire, observavit *Andral* (3).

D.r *Gavarret* calorem hominum adultorum ex-

(1) *Schwencke Haematologia*, etc. In-8.° Hag. Comit. 1743; pag. 57.

(2) *De Haen. Rat. med.* Tom. I, p. 117. Edit. Venet.

(3) *Andral. Haematologie.* Art. III.

ploravit in stadiis frigoris, caloris et durante apyrexia, statuitque in febribus intermittentibus caloris augmentum adesse tam in stadio caloris quam in stadio frigoris. Sexies calorem in stadio frigoris observabat, inveniebatque caloris gradus a 36 ad 38 duobus in casibus, 4o in quatuor aliis, dum aegrotantes horrore contremiscerent. In quinque aliis observationibus, durante febris ardore peractis, calor inventus fuit unico tantum gradu superior gradu qui tempore frigoris notatus fuerat. Ex hisce medici parisiensis observationibus videretur, calorem in frigore febrili non modo non imminui, sed reapse augeri; ideoque vana fuisse *Schwencke* et *De Haen* experimenta, quibus docemur adesse imminutionem caloris sub frigore febrili. Verum si ad observationes ipsiusmet *Gavarret* rite attendamus, difficultatem hujusmodi facile explanabimus. Ex subjectis febre intermittente correptis, quorum calorem exploravit *Gavarret*, plerique sequentes caloris gradus, durante apyrexia, praebuerunt; nempe 35° vel 36° Centig. — Hanc caloris imminutionem observavit et Dr *Roger* in infantibus puerisque, apyrexiae tempore. Quod si, durante apyrexia, minor caloris gradus quam in statu normali observatur, probabile videtur eo minorem esse debere calorem primis horroris febrilis momentis: si vero *Gavarret* caloris augmentum, durante frigore febrili, observavit, hoc forsan ex eo pendet quod sero nimis, nempe dum jam calor abnormis evolveretur, calorem in suis aegris exploraverit. *Roger* minorem caloris gradum,

quam in statu normali, in infante frigore febrili detento detexit.

Durante ardore febrili, idem *Roger* sequentes caloris gradus observabat in infantibus. in duobus casibus, 39° C.; in tertio casu, 40,25; in quarto, 41.°

Ex quibus observationibus apparet: 1.° in frigore febrili caloris augmentum jam adesse; 2.° tempore apyrexiae calorem minorem esse quam in statu normali; 3.° durante febrium intermittentium stadio caloris, gradum hujusmodi ad 41° thermometri centigradi, in infantibus, ad 42° in adultis interdum ascendere.

Novis ergo observationibus thermometricis indigemus, ut certi simus an caloris diminutio necessario, in febribus intermittentibus, ejusdem augmentum praecedat. Observationes autem non essent instituendae dum horror et frigoris sensus in scaenam jam apparuerunt; sed, vel ante frigoris stadium, vel primis vix orripilationibus comparentibus. Has porro observationes instituere magni esset momenti, ad illustrandam febrium theoriam: si enim demonstraretur, in febribus caloris imminutionem necessario ante caloris augmentum adparere, tunc celeberrimi *Edwards* theoria, de motuum febrilium successione, probabilis admodum fieret; nam caloris diminutio ab imminuta facultate calorem gignendi penderet, caloris augmentum a viribus vitae reagentibus (1).

(1) *G. F. Edwards. De l'influence des agens physiq. sur la vie.*

## §. III.

### 3. Calor in febre typhoidea.

Febris typhoidea, juxta Galliae medicos, est febris continuae species quae, tamquam peculiarem characterem anatomicum, laesionem apparatus follicularis intestini ilei praesefert. Si membrana tantum mucosa hujus intestini phlogosi corripiatur; tunc morbus febris typhoidea non est, sed enteritis, licet symptomata typhoidae evidentissima fuerint. Si febris e contagio vel infectione oriatur, si miliaris vel petechiae apparuerint, si aegri stupidi, delirantes, etc. cum lingua, ore, naso nigricantibus, fuliginosis jacent; morbus tamen febris typhoidea non erit, si apparatus follicularis intestini ilei integer observabitur.

Quemadmodum in febribus intermittentibus, ita et in typhoidea febri caloris augmentum notabilis est. Observationes *Bouilliaud*, *Donné*, *Andral* et *Roger* concordes in hoc sunt. Minimus caloris gradus e *Donné* observatus, est 38°,5o thermom. Centig., maximus caloris gradus, 40.°

*Andral* in 91 febre typhoidea aegrotantibus sequentes caloris animalis gradus observavit.

| *Agrorum numerus.* | | *Caloris gradus.* |
|---|---|---|
| 13 | » | 38° Cantig. |
| 26 | » | 39° » |
| 43 | » | 40° » |
| 8 | » | 41° » |
| 1 | » | 41°8o » |
| 91 | | |

Medius caloris gradus, in supradictis aegrotantibus detectus, esset 39°,53 Centig. Videtur porro, ad mentem *Andral*, relationem seu proportionem existere inter morbi gravitatem et gradum caloris animalis; ita ut augmentum caloris magnum, febrim typhoideam gravem comitatur; parvum caloris augmentum, febrim levem seu benignam (1).

D.r *Roger* tres et viginti infantes, febre typhoidea laborantes, experimentis suis subjecit: eorum aetas inter septimum et decimumquintum annum versabatur. In dictis infantibus 98 observationes thermometricas instituit.

Maximus caloris gradus in infantibus, fuit 41° Cent. Quatuordecim (inter 23) gradum 40 et amplius praebuerunt. — Quibus calor 40° Centig. minor erat, illi morbum levem vel dubium habebant. — Apud illos, in quibus febris typhoides manifesta et gravis apparuit, caloris gradus medius fuit 40,14. — Si insimul considerantur casus graves et leves, caloris medius gradus in infantibus erit 39°,77.

In febribus typhoideis, non modo caloris gradus insignis observatur, sed caloris augmentum adeo notabile ad multum temporis spatium perdurare valet. Hoc ab observationibus *Donné*, *Bouillaud*, *Andral* et *Roger* constat; qui ultimus 40 ca-

(1) Quae *Andral* ex propriis experimentis deduxerit, constant unice ab opere supra citato Doctoris *Roger*, qui Lectiones de hoc augmento a clinico illo celeb. factas anno 1841, novit.

loris gradum ( Centig. ) in infante ab octodacim diebus febre typhoidea laborantem observavit.

Gradus ergo caloris *medius*, in adultis febre typhoidea correptis, est 39,53 Cent.;
in pueris et infantibus 39,77 »

Gradus caloris *maximus*, in adultis eodem morbo decumbentibus, est 41,80 Cent.;
in infantibus et pueris 41 »

*Minimus* caloris gradus, in adultis 38 »

Ex quibos observationibus concludere debemus, in morbo persaepe gravi, quemadmodum est febris typhoidea, caloris gradum minus augeri, quam in febribus intermittentibus, morbis caeterum benignis fere semper.

Notabile caloris augmentum, quod in fabre typhoidea observatur, D.r *Roger* tamquam signum diagnosticum sumit ut hanc febrem a morbis similibus, enteritide, ex. gr., meningitide in infantibus distinguat. Ex omnibus morbis, in quibus D.r *Roger* calorem animalem exploravit, unus tantum adest, in quo notabile caloris augmentum moderatae pulsuum frequentiae conjungitur, et morbus hujuscemodi est febris typhoidea. Si itaque in puero aut infante, gradus caloris 40 detegatur, cum pulsu centies in minuto micante, fere certi de febris typhoideae praesentia esse possumus.— De adultis idem asserere nequimus; nam calor in istis 40 graduum therm. centig. existere potest cum pulsuum moderata frequentia ( 104, vel 105) dum febre intermittente laborant.

Primis febris typhoideae diebus, difficile inter-

792



dum est peritissimo etiam medio de illius existentia aliquid certi pronuntiare; vel enim symptomata abdominalia praevalent, et tunc cum enteritide morbus confundi potest, vel encephalica, et pro meningitide morbum habemus. Si aegrotantium calorem exploramus, facile ut plurimum in infantibus diagnosis instituti poterit; nam si calor 40 sit graduum therm. centig., de febris typhoideae existentia pronuntiare possumus, quum in meningitide et praesertim in enteritide minor caloris gradus observetur.

Si autem ad notabila caloris augmentum, quod in febribus typhoideis obtinet, attendemus, facile intelligimus utilitatem usus interni et externi aquae frigidae hoc in morbo.

## §. IV.

### CALOR IN FEBRIBUS EXANTHEMATICIS.

In omnibus febribus exanthematicis caloris augmentum observatur, ea ratione ut maximus sit caloris gradus in *scarlatina*, minor in *variolis*, minimus in *morbillis*.

### 1. *Variola et Varioloides.*

Ex quindecim adultis, variolis detentis, in quibus calorem explorabat *Andral*, quinque gradum 40° centig., sex 39°, quatuor 38° praebuerunt. *Medius* caloris gradus in praedictis subjectis erat 39°,06.

D.r *Roger* in infantibus, quorum aliqui variolis veris, alii varioloidibus adficiebantur, maximum caloris gradum 41° centig. unica vice observavit: gradus minimus fuit 37°, 50; medius 38°, 75.

Variis autem eruptionis exanthematicae temporibus, medius caloris gradus varius fuit:

| | | | |
|---|---|---|---|
| prima eruptionis die, caloris gradus erat | | | 41° ; |
| tertia | » | » | 37°,66; |
| quarta | » | » | 38°,25; |
| quinta | » | » | 39° ; |
| sexta | » | » | 38°,75; |
| septima | » | » | 40°,75; |
| octava | » | » | 38° ; |
| nona | » | » | 39°,25. |

Hinc apparet, jam a primo eruptionis variolosae momento calorem gradum maximum attingere; sequentibus diebus decrescere; dein a quinta ad nonam diem denuo augeri, dum febris suppuratoria in scenam venit.

Idem fere observavit in adultis cel. *Bouillaud*: caloris gradus maximus fuit in morbi principio et circa septimam vel octavam eruptionis diem (1).

In variolis et varioloidibus, caloris gradus sat notabilis per totum morbi decursum perstitit (*Roger*): quibusdam in casibus, magnus caloris gradus a morbi principio ad finem usque perseveravit. In infante quatuor annorum, de quo loquitur nominatus Auctor, calor numquam fuit minor 38°, 25

(1) Bouillaud. Clinique de la Charité. *Tom. I. p.* 495. *Edit. Parisiensis.*

primis diebus; die octava morbi, ad 40°,75 evehitur; die nona, duabus horis ante obitum infantis, ad 41°.

Pustularum frequentia in caloris gradum mutandum parum influit: in tribus infantibus variolae confluentes erant, et gradus caloris medius fuit 38°,75: in quinque aliis variolae discretae erant, vel varioloide exanthema tantum aderat, et gradus caloris medius fuit 38°,45.

Non idem de morbi gravitate dicendum; nam in duobus infantibus, variolis defunctis, calor corporis maximus erat 41° et 39°, dum nullus eorum qui salutem recuperarunt tales caloris gradus ostenderunt, unico tamen casu excepto in quo calor 39°,25 semel tantum notabatur.

## 2. *Scarlatina.*

D.r *Hieglits* affirmat, in scarlatina calorem ad 112° therm. Far. ascendere (1). In epidemica scarlatina, a D.re *Nasse* annis 1809 et 1810 Bielfeld observata, calor ad 108° Far. (34° R.) pervenerat. *James Currie* calorem 105 et 106 Far. (41 centig.) in casibus benignioribus; 108°, 109° et 110° in

(1) *In diario* Annales de la litterat. méd. étrangère (*t. XIII. p* 380), *et apud* Ozanam (Traité des épid., *t. III. p.* 347) *observatio medici angli* Torrencé *prostat, qui thermometrum Far. in scarlatina ad gradum* 160 *adscendere, se vidisse affirmat. Hoc est impossibile.*

casibus gravioribus observavit: praeterea de caloris gradu 112° tamquam ab *aliis* in eodem morbo observato, ille loquitur (1). Sed recentiores caloris gradum hujusmodi in scarlatina nunquam notaverunt. In septem adultis, caloris gradus maximus a prof. *Andral* observatus, fuit 40°,75 ther. centig.; gradus medius, 40°; minimus 39°. In infantibus, gradus caloris maximus erat 40°,75; medius 39°,39; minimus 38° therm. centig.

In scarlatina, uti et in variolis et febre typhoidea, caloris augmentum notabile presertim apparet ob suam continuitatem et perseverantiam.

Augmentum caloris rationem sequitur gravitatis eruptionis, morbi complicationum, et scarlatinae ipsius intensitatis: hinc morbus simplex et benignus apparuit in duobus infantibus, qui minimum caloris gradum habuerunt; qui autem interierunt, iis calor medius erat 40°,06, dum e contra calor eorum, quibus salus restituta fuit, erat 38°,87 therm. centig. (*Roger*).

### 3. *Morbilli.*

In morbillis calor animalis minor est quam in variolis et scarlatina.

Ex undecim adultis qui morbillis aegrotabant,

(1) *Corrigendi hinc sunt doctores* Rilliet *et* Barthez, *qui asserunt ipsum* Currie, *optimum caeterum observatorem, hunc caloris gradum in scarlatina notasse. V. eorum opus:* Traité des malad. des Enf. *t.* 2. *p.* 588. *in nota.*

novem calorem inter gradum 38 et 39 centig., duo ad gradum 40 habuerunt (*Andral*).

Idem fere vidit in octodecim infantibus jam saepe citatus D.r *Roger*.

Caloris gradus medius iis erat 38°, 47;
» maximus » 40° ;
» minimus » 37°, 75.

In morbillis calor suum altiorem gradum attingit incipiente exanthematis eruptione; dein sensim minor fit regulari modo ad morbi finem usque: hinc caloris gradus medius prima eruptionis die, erat 39°, 12; die secunda, 38°, 58; tertia die, 38°, 50; quarta, 37°, 75; quinta die, 37°, 25. Haec caloris imminutio constans est comes eruptionis declinantis, nisi aliqua causa morbo extranea caloris imminutioni se se opponat, uti essent ex. gr. bronchitis, pneumonitis morbillis abeuntibus supervenientes.

Caloris gradus, etiam in morbillis, rationem gravitatis morbi sequitur: maximus gradus 40 in puero morbillis defuncto observatus est.

Rationem calor sequitur etiam intensitatis eruptionis: et revera, calor major fuit secunda et tertia eruptionis die (quibus diebus exanthema vividior est), quam quarta et quinta, quibus evanescere solet: praeterea, major quoque fuit iis in casibus, in quibus maculae papulaeque morbillosae frequentiores notabantur; ita ut in quatuor infantibus, quorum eruptio abbundans erat, caloris gradus 38°, 87; in tribus aliis, quorum exanthema pallidum et leve fuit, calor 38° centig. esset.

## 4. *Erysipelas.*

Caloris gradus, in hominibus adultis hoc morbo laborantibus, nondum ni fallor exploratus fuit: in infantibus, bis tantum a D.re *Roger*. In infante sex mensium, calor erat 39°, 75 therm. centig.; in puero tredecim annorum, caloris gradus major fuit, nempe 40°, 25.

Scarlatina, variolae, morbilli, erysipelas, paucis omnia exanthemata sic dicta febrilia in eo conveniunt ut notabile caloris augmentum in aegrotantibus excitent, quod tamen augmentum nondum gradum illum attingit, qui in febribus intermittentibus et typhoideis observatur. In eo etiam exanthemata conveniunt, quod caloris augmentum rationem gravitatis morbi, et eruptionis intensitetis et frequentiae sequatur.

### §. V.

#### CALOR IN QUIBUSDAM ALIIS MORBIS.

## 1. *Enteritis.*

Enteritidis nomine Galliae medici inflammationem membranae mucosae intestinorum tenuium intelligunt. In hoc morbo caloris augmentum non adeo notabile, ut in praecedentibus, occurrit. In infantibus (n.° 8) caloris maximus gradus, 39°, 25; minimus, 37°; medius, 37°, 96 fuit.

Calor in enteritide auctus per non longum temporis spatium perseverat.

Porro caloris augmentum proportionem servat cum indole morbi : in enteritide acuta, fuit 39°; in subacuta, 38°; in morbo chronico, 37°, vel 37°, 25 ad maximum.

## 2. *Dysenteria.*

In tribus infantibus hoc morbo denatis, caloris gradus maximus erat 38°, 50; minimus 37°,50; medius 38°, 16 therm. centig.

Calor parietum abdominalium, thermometri ope diligenter exploratus, minor fuit o, 25 et etiam o, 75 calore cavi axillaris.

Caloris porro gradus per integrum morbi decursum sibi fere similis semper perstitit, licet alia morbi symptomata, quemadmodum dolores ventris, pulsuum frequentia, varia admodum hoc temporis spatio apparuerint.

## 3. *Peritonitis.*

In peritonitide chronica, a tuberculorum in peritonaeo existentia producta, nullum caloris augmentum observatur. In acuta, insigne caloris augmentum adest: caloris gradus, in tribus infantibus a D.re *Roger* exploratus, erat ut sequitur:

caloris gradus medius . 39°, 55 C.;
" maximus 40°, 50 ;
" minimus 38° .

*4. Meningitis.*

D.r *Roger* 48 observationes thermometricas in novem infantibus, meningitide laborantibus, instituit. Eorum sex meningitidem cerebralem simplicem vel granulosam (tuberculosam) habebant; reliqui meningitidem tam cerebri quam medullae spinalis.

| | | |
|---|---|---|
| Caloris gradus maximus in illis fuit | | 42°, 5o ; |
| » | minimus | 35° ; |
| » | medius | 38°, 12 . |

Id autem maximi momenti in meningitide observatur, quod caloris gradus *varius* summopere sit per totum morbi decursum. In eodem aegrotante modo adest maximus caloris gradus, modo medius, modo minimus. Eaedem occurrunt differentiae si aegroti alii cum aliis comparentur: in quibusdam morbus cum maximo caloris gradu procedit; in aliis cum minimo. Quae quidem tantum modo in meningitide, minime vero in aliis morbis acutis, obveniunt.

In febribus et aliis acutis morbis, calor ad maximum suum gradum evehitur vel statim ab initio morbi ipsius, vel in ejus incrementi stadio: in meningitide e contra, plerumque calor sub morbi finem major fuit. Interdum meningitis cum magno incipit caloris gradu, qui paullo post summopere imminuitur. Hinc sequens, pro diagnosi, regula fluit: si in infante vel puero, symptomata quaedam encephalica habente, calor in primis morbi diebus gradum normalem caloris admodum

superet, dein ad gradum 36 vel 35 thermometri centig. descendat, de meningitidis simplicis vel granulosae fere certi erimus. Quod si cum hisce caloris varietatibus pulsuum et respirationum raritas (quae interdum, non semper, existunt) concurrat; tunc certitudo de meningitidis praesentia perfecta est.

Quum scripta medicorum evolvimus, qui ad calorem animalem in variis morbis explorendum mentem et opus posuerunt, de exiguo experimentorum numero dolemus; ideo magis quod parcus observationum numerus, quas scientia nostra nunc habet, non paucam in quorundam morborum (ex. gr. febris typhoideae, enteritidis, meningitidis) diagnosi lucem attulerit (1).

(1) *Sequitur Tabella quae ob oculos ponit varios caloris, in diversis morbis, gradus.*

*Tabella caloris gradus maximum, minimum et medium in variis morbis exponens.*

| Morborum nomen. | Aegrorum Aetas | Numer.s | Caloris gradus |
|---|---|---|---|
| Febris ephemera | Infantes | 2 | maxim. 40°, 50<br>med. 38, 45<br>minim. 37, 25 |
| Febris intermittens | Adulti | | maxim. 42°<br>minim.<br>medius |
| » | Infantes | | maxim. 41°<br>minim.<br>medius 40 |
| Febris typhoidea | Adulti | 91 | maxim. 41°, 80<br>minim. 38<br>medius 39, 53 |
| » | Infantes | 23 | maxim. 41°<br>minim.<br>medius 39, 77 |
| Variolae | Adulti | 15 | maxim. 40°<br>minim. 38<br>medius 39, 6 |
| » | Infantes | 12 | maxim. 41°<br>minim. 37, 50<br>medius 38, 75 |
| Scarlatina | Adulti | 7 | maxim. 40°, 75<br>minim. 39<br>medius 40 |
| » | Infantes | 7 | maxim. 40°, 75<br>minim. 38<br>medius 39, 39 |

| Morborum nomen | Aegrorum Aetas | Numer.s | Caloris gradus |
|---|---|---|---|
| Morbilli | Adulti | 11 | maxim. 40°<br>minim. 38<br>medius |
| » | Infantes | 18 | maxim. 40°<br>minim. 37 , 75<br>medius 38 , 47 |
| Erysipelas | Infantes | 2 | maxim. 40°, 25<br>minim. 39 , 75<br>medius 40 |
| Enteritis | Infantes | 8 | maxim. 39°, 25<br>minim. 37<br>medius 37 , 96 |
| Dysenteria | Infantes | 3 | maxim. 38°, 50<br>minim. 37 , 50<br>medius 38 , 16 |
| Peritonitis acuta | Infantes | 3 | maxim. 40°, 50<br>minim. 38<br>medius 39 , 55 |
| Meningitis | Infantes | 9 | maxim. 42°, 50<br>minim. 35<br>medius 38 , 12 |

## *Theses defendendae.*

1.

Doctrinas medicas ab empirico fundamento non exurgentes vix non omnes falsas.

2.

Febres graves perperam a medicis Galliae ad unicum febris typhoideae genus demandari.

3.

Febris typhoideae originem in fluidorum laesione quaerendam.

4.

In morbis medendis plurimi faciendam esse annuae constitutionis considerationem.

5.

Anginam pectoris a morborum serie expungendam.

6.

Ex sanguinis jactura interdum febrim.

7.

Hydropis frequentissima causa venarum obstructio.

8.

Systema nervosum caloris animalis evolutioni praeesse.